

LUDUS, SPONSIO.

S U M M A R I U M.

- 1. Ludus quid sit, & quot conditiones requirantur & que, ut licitus sit, ad num. 2.
 - 2. Sponsio quid sit, & quot conditiones requirantur & que ut sit licita, ad num. 4.
 - 3. An iure natura ludi contractus sit licitus & quomodo, ad num. 5.
 - 4. Quid iure positivo licitum vetitumve sit circa ludum tam Laicis, quam Clericis, ac Regularibus, ad num. 16.
 - 5. An ludere liceat pro re aliqua spirituali, ad n. 18.
 - 6. Filius familias ex quibus bonis ludere possit vel non, ad num. 31.
 - 7. Quenam bona uxor inuito & inuito marito possit exponere ludo, ad num. 35.
 - 8. Ludens volens plus vincere quam possit perdere, vel ludens cum animo deliberato non solvendi, an peccet & ad quid teneatur, ad num. 39.
 - 9. Ludens cum fure, vel ludens pecunia furto, quid sibi iuris vel obligationis incumbat, ad n. 43.
 - 10. Injuste per metum gravem aut violentiam coactus ad ludendum, & qui eum cogit, an possit aequo lucrari & retinere lucrum, ad num. 45.
 - 11. Que deceptiones seu simulationes in ludo sint licite, que vero non, ad num. 52.
 - 12. An & quando peccet ludens, qui non moneat coludentem errantem, ad num. 54.
 - 13. Quid iuris ac obligationis habeat ludens moneta mala, vel ludis legibus prohibitis iuxta varios casus, ad num. 64.
 - 14. Quenam specialia habeat sponsio, ad num. 68.
 - 15. Substantur Additiones ex aliena manu, ad n. 104.
- L**UDUS est contractus, quo ludentes inter se paciuntur, ut victori in premium victoria cedat, quod singuli deposuerunt. Est in re Communis. Ut ludus sit licitus, quatuor requiruntur conditiones. I. Ut ludens non uratur dolis, & fraude. II. Ne alter alterum compellat ad ludam per vim, aut verbis contumeliosis. III. Ut ludens disponente possit de re, quam ludo exponit. IV. Ut sit aequalis conditio coludentium. Sic Doctores communiter.
- Sponsio est contractus, in quo duo de veritate, aut eventu alicujus rei certantes, sibi invicem aliquid spondent, ut id ejus sit, qui veritatem assecutus fuerit. Est in re Communis. Ut sponsio sit licita, quatuor requiruntur conditiones. I. Ut fiat super re dubia. II. Ut sit aequalitas in re, que spondetur cum aequali incertitudine. III. Ut dubius sit eventus in utroque. IV. Ut uterque eodem sensu accipiat id, de quo certatur. Sic Doctores communiter.
- Ludi contractus iure nature semper est licitus, quando in eo supradictae quatuor conditiones concurrunt. Communis est ratio est, quia sicuti est in potestate cuiuscumque rem suam alteri donare absolute, ita etiam in alterum transferre sub quavis conditione, sive ea fortuita sit, sive ex intentione pendeat; Immo Layman lib. 3. tract. 4. cap. 21. num. 1. Reiffenst. tom. 8. de contract. disting. 4. quest. 9. Molina tom. 2. disp. 510. in fine & alii ex S. Thoma 2. 2. quest. 168. art. 2. colligunt, quod si ludus debito modo instituat, sit actus duarum virtutum; scilicet Justitiae, & Eutrapeliae, & utilis sit ad evitandum otium, & quae inde sequuntur mala.
- Iure tamen positivo est prohibitus tam Laicis, quam Clericis ludus, qui sola fortuna, & casu regitur, seu omnibus ille, qui alearum nomine venit. De Laicis patet l. Victim. 1. Cod. de Aleatoribus, & alearum usu, l. Alearum ult. Cod. de Religiosis, & sumptibus funerum, leg. Praeter 6. ff. de Aleatoribus; ubi sancitur ludentes esse puniendos; & hoc est statutum ad evitanda gravia mala ex ludis non raro evenientia, ut sunt perju-

ria, blasphemiae, bonorum dilapidationes, familiarum lapsus, rixae, homicidia, & hujusmodi; Unde etiam Horatius scripsit:

Nam ludus genuit strepitum, certamen, & iram.

De Clericis habetur expresse in Can. 41. & 42. apostolorum, c. Episcopus 1. dist. 35. cap. Clerici Officia 15. de Vita, & honestate. Clericor. Concil. Trident. sess. 22. cap. 1. de reformat. Immo non solum legibus ecclesiasticis, & canonicis est ludus prohibitus Clericis, sed etiam legibus caesareis, & civilibus, ut expresse habetur in Authent. Interdicitur Cod. de Episcop. & Clericis. Vide verb. Clericus art. 5. num. 1. & 2. ubi afferuntur omnes praecisi textus.

Hanc tamen prohibitionem quantum ad Laicos non esse in vigore, saltem ubi ludus est moderatus quoad pretium, tempus, locum, modum, verba, & hujusmodi, declarat totius orbis praxis recepta, & etiam a valde timoratis frequentata.

An autem, & quomodo sit talis prohibitio in vigore quoad Clericos; Vide d. verb. Clericus art. 5. d. n. 3. ad 9. & verb. Venatio n. 1.

Regulares autem, & Episcopi propter eorum perfectionem statum, & propter scandalum possunt per alios Clericos facilius, & gravius peccare his ludis. Rebellus enim lib. 12. q. 2. censet, Religiosos, & Episcopos non posse excusari a venialibus, si vel semel ludant, nisi urgeat necessitas excitandi, vel recreandi infirmum, & hujusmodi, cui non possit aliter satisfieri; Diana autem part. 7. tract. 9. res. 4. ex Molina tom. 2. disp. 21. num. 6. Dicastill. Lug. disp. 31. n. 12. putat, Religiosos, & Episcopos in ipsis ludis a peccato gravi excusari vix posse. Et Alcozer lib. de ludo cap. 11. absolute dicit, Episcopos, & Religiosos peccare mortaliter, quando ludis vetitis ludunt, nisi ubi consuetum est, & absque pravo exemplo secularium ob levandum alicui infirmum, vel coniectum in carcerem, & ob solam animi recreationem, quod verum putant Sanchez lib. 1. cans. cap. 8. dub. 28. num. 9. Molina loc. cit. Lugo loc. cit. num. 12. Bannes, & alii, quia hi ludi multum dedecet statum Religiosorum, & Episcoporum.

Regulares ludentes lucri gratia pro pecunia, vel re pretio aestimabili, peccant contra votum paupertatis, quia res, quas habent sibi concessas tantum ad usus necessarios, & utiles, expendunt in usus non necessarios, nec utiles, & exponunt iacturam illicitam, quod utrumque est contra votum paupertatis religiosae; Sanchez lib. 7. in decalog. cap. 19. num. 76. Medina lib. 1. sum. cap. 14. Tamburin. de Jur. Abbat. tom. 2. disp. 21. quest. 12. num. 1. Bonac. de contractib. disp. 2. q. 2. punct. 1. num. 9. Lezana in Summa q. Regular. tom. 1. cap. 6. num. 50. & tom. 4. verb. Ludus num. 10. & alii passim. Neque Praelati possunt ad hoc licentiam concedere, quia cum non sint domini, sed tantum prudentes administratores bonorum monasterii, seu conventus, sic non possunt ipsi in proprios usus, nisi necessarios, vel utiles ea expendere, ita neque possunt subditis facultatem concedere, ut in alios quam jam praedictos usus expendant, & tanto minus in ludos; Ledesma 2. tom. summa tract. 31. cap. 1. post 10. Conclusionem; Sanchez loc. cit. num. 86. Tambur. loc. cit. n. 8. Salonium 2. 2. tract. de Domin. q. 5. art. 6. dub. penult. Molina tom. 2. de Just. disput. 150. Lezana loc. citat. verb. Ludus num. 11. Alcozer lib. de Ludo cap. 39. Petrus a Navarr. lib. 3. de resit. cap. 177. Navarrus comment. 2. de Regular. num. 15. & 18. Lessius lib. 2. de Justit. & Jur. cap. 4. dub. 5. num. 33. & alii Doctores, & resigantur P. Rosignolus de restitutione 11. disquit. 1. §. 8. num. 14. ubi habet sequentia verba digna, ut hic ad literam referantur, ibi: Nec incongrua ratione haec decernuntur, quandoquidem ea, quae habent singuli Religiosi etiam ex facultate Superioris, sunt nemine discrepante, quoad dominum monasterii; Superior autem non est bonorum monasterii absolute dominus, sed simplex dispensator, & administrator, & qui

quidem ad normam eorum quae praescribunt Insultata ordinis, & decreta, & Sanctiones Conciliares, & Pontificiae: sed administratores simplices, dispensatores non possunt administrare, & dispensare; ut ea, quae sunt monasterii, expendantur extra causas licitas, & honestas; ceteroquin patrimonium Christi profundere in res illicitas, & profanas. Hinc absolute arbitror, etiam stare consuetudine, Religiosos ludentes veritis alearum, & taxilorum causa lucri graviter peccare, quantumvis hoc praestet Superioribus videtibus, & non contradicentibus. Quod si haec verificantur etiam Superioribus scientibus, quid erit dum sunt remotioribus in abditis, ut passim contingit, ipsis omnino ignorantibus? An praesumeret eorum voluntas, & concessio? Abominabile adeo & hoc vitium est, ut religiosum statum, & perfectionem evertat, sanctitatem comminuat, vota disrumpat; Ob quam gravibus penis suppreum Dei tribunal obnoxii erunt nedum Religiosi ludentes, & Superiores etiam scientes, & corruptelam hanc non resecantes, quae credit nedum in animarum perniciem, sed etiam in religionis eversionem! Haecenus Doctissimus, & zelantissimus Rosignolus.

Honestae autem recreationis causa possunt Regulares ludere aliquam parvam, & modicam pecunia quantitate de licentia Superiorum, dummodo non ludant licentia prohibitis, vel a iure, vel a regula, vel constitutionibus, seu scandalosis, ac religioso statui indecentibus, quia tunc ludus est honestus, & ille usus pecuniae licitus; Lugo tom. 1. disp. 3. num. 144. ubi dicit hanc sententiam esse communem, & veram. Major in 4. d. 18. quest. 13. in solut. ad 2. Ledesma loc. cit. cap. 6. n. 50. & verb. Ludus quoad Regulares num. 10. Bonaccia loc. cit. Tambur. loc. cit. Rosignol. loc. cit. numer. 21. Portell. dub. Regul. verb. Ludus num. 2. subjungit: "Si vero queratur, quantum summam, seu quantitatem possit Religiosus ludere, qualis quisque ille sit: Ego credo, illum posse ludere illam quantitatem, quam extra ludum licite donare, vel alienare potest juxta suam regulam, & constitutiones; Haec enim regula aucta est, & generalis. Si enim v. gr. tres regales donare potest juxta suam regulam, & constitutiones, vel quid simile minus, aut majus, item etiam poterit alienare ludendo; parum enim interest, si potens donare, vel alienare, & donet, aut alienet gratis, vel pro lucro sibi aliis licitum." Et idem tenet Navarr. in Manual. cap. 19. num. 12. Azorius tom. 3. lib. cap. 25. quest. 8. dicentes, posse Regularem extra Conventum existentem de licentia sui Superioris, ex iis, quae sibi mittuntur ad congruam sustentationem, si aliquid modicum sibi subtrahat parce vivendo, illud exponere ludo, honeste recreationis gratia; Et sic etiam Sanchez in decal. cap. 19. num. 79. referens Valentiam, Lessium, Grafium, Salonium, & alios; Et ita etiam Tamburinus de Jure Abbat. 2. disput. 21. quest. 12. n. 3. & alii: Qui tamen id limitant, nisi talis ludus sit prohibitus, aut indecens Religioso, ut est ludus alearum, taxilorum &c. vel prohibitus per regulam, aut constitutiones, quia ludo prohibito nec parvam nec magnam quantitatem licet Religioso ludere, etiam de licentia superioris, cum pro tali ludo non possit illam concedere, Salon. 2. 2. tract. de domin. quest. 5. art. 6. dub. penult. Molina tom. 2. de Justitia disput. 520. Lezana tom. 1. summa quest. Regular. cap. 6. num. 50. & supra citati.

Hinc ludens cum Religioso, & lucrans, quod Religiosus ludere non poterat, sive ratione ludi prohibiti, sive ratione quantitatis non sibi permittae, tenetur restituere ipsi Religioso, vel rectius religioni, seu conventui, cuius est filius; Ledesma 2. part. summa tract. 31. capit. 1. post 10. conclusionem. Alcozer lib. de Ludo cap. 37. Rosignol. loc. cit. num. 20. Lezana loc. cit. capit. 6. num. 51. Rodriguez Addit. summa tom. 3. cap. 228. concl. 10. Rebell. de obligat. just. 2. part. lib. 12. quest. 6. numer. 15. Portell. dub. Regul. verb. Ludus num. 3. & ipso teste omnes alii communiter. Et ratio est, quia cum Religiosus nequeat tali ludo, vel talem quantitatem ludere, nec etiam sic ludens cum illo poterit illam lucrari, adeoque si accipiat, tenetur restituere,

& sibi imputare debet, quod non peccaverit abstinendo a ludo cum persona, quae incapax erat ad transferendum dominium rei, seu pecuniae expositae tali ludo.

Similiter est contra si Religiosus ludens ultra eam quantitatem, quam potest ludere, & perdere ex licentia sui Superioris, vel quia non habet talem licentiam, vel quia ludus est illi prohibitus, & contingat tunc lucrari, non potest lucrum accipere, & si accipit, tenetur restituere; Salon. 2. 2. post q. 61. q. 5. de dominio art. 6. dub. penult. Valent. 2. 2. disp. 5. quest. 6. punct. 5. Lezana loc. cit. cap. 6. num. 51. Lessius l. 2. de just. & jur. cap. 26. dub. 5. num. 32. Rosignol. loc. cit. num. 21. Lugo tom. 1. de just. & jur. disp. 3. rest. 3. numer. 146. ubi dicit hanc esse communem sententiam Doctorum; quos refert, & sequitur Sanchez l. 1. consil. cap. 19. num. 86. quamvis aliquid apud ipsum Sanch. ibidem. num. 85. id negent. Et ratio est, quia de ratione ludi est, ut in eo uterque ludens aequalis conditionis sit in periculo amittendi, & spe lucrandi; qui enim non potest perdere, non potest lucrari, sicuti qui non potest lucrari, non potest perdere; adeoque cum Religiosus non possit tali ludo, seu ultra talem quantitatem perdere, nec poterit ultra illam lucrari.

Quae dicta sunt, non solum procedunt de Religiosis ludentibus cum extraneis, sed etiam de ludentibus cum aliis Religiosis ejusdem ordinis, seu monasterii. Unde Religiosi inter se ludentes ludis vetitis in magna quantitate, sive extet consuetudo, non potius corruptela, sive non extet, graviter peccant; Rosignol. loc. cit. num. 22. Lezana tom. 4. summa quest. Regul. verb. Ludus quoad Regulares num. 10. & alii passim. Et probabilis victores tenentur ad restitutionem. Rosignol. loc. cit. num. 23. & alii. (Vid. verb. Ejicere n. 59.)

Ludere pro re aliqua spirituali, videlicet pro orationibus aut psalmis, vel precibus dicendis a victo pro victore, non est peccatum, nec irreverentia. Navarr. in manual. cap. 19. num. 7. Diana part. 7. tract. resol. 1. Sanch. loc. cit. dub. 24. num. 15. Rebellus lib. 12. Salsas dub. 23. num. 1. Lugo tom. 2. disp. 31. rest. 1. n. 5. Lezana tom. 4. summa quest. Regular. verb. Ludus quoad Regulares num. 13. Busemb. lib. 3. part. 2. cap. 3. dub. 3. numer. 15. Bonac. loc. cit. num. 8. & alii contra Lopez 2. part. Inst. conscientiae cap. 34. in fine, Peyrin. tom. 2. de Praelato quest. 2. cap. 2. §. 5. num. 103. Vergam verb. Ludus cap. 14. volentes non licere propter irreverentiam, qua permiscetur sacra profanis. At verius nulla in hoc est irreverentia erga res sacras, cum potius sit signum devotionis, & pietatis erga illas, Deum, & Sanctos; & si quae est irreverentia in eo, quod praedicta dicantur sine devotione, aut reverentia, id est per accidens, cum possint, & debeant devote, reverenter recitari; Et talis est usus plurium piorum, maxime apud Religiosos.

An autem liceat Sacerdoti ludere ludo aliis licito cum seculari seu laico hoc pacto, ut scilicet si laicus, seu secularis vincat, teneatur Sacerdos dicere pro illo missam, rosarium, officium B. M. V. & hujusmodi; Si vero vincatur, teneatur solvere Sacerdoti unum julium, unam gallinam, seu aliam hujusmodi rem temporalem? negant multi & Lugo loc. cit. num. 5. dicit posse esse periculum simoniae; sed id non esse simoniam, nec quid illicitum, tenet Rodrig. in addit. ad summa tom. 3. cap. 228. conclus. 9. Portellus loc. cit. num. 4. Lezana loc. cit. num. 13. La Croix lib. 3. part. 2. numer. 1096. Cum Diana, Francisco Bonae spei, & Stephano a S. Paulo ibi citatis: Nam ut ibi dicit, non ideo res spiritualis aestimatur temporalis, sed offertur executio rei spiritualis loco temporalis aliquo tradenda, quae commutatio licita est; Si enim Sacerdos debeat v. gr. 10. julios alicui seculari, licite offert 10. missas pro ipso legendas, ut sic ipsum moveat ad ei remittendos dictos 10. julios; Sic quivis Sacerdos offert licite Missas alteri laico, ut ab eo recipiat triticum, vinum, panem, & aliam hujusmodi rem temporalem, ut passim fieri videmus.

Filius si alatur in loco distante a parentibus, potest ex alimentis moderate aliquid insumere in ludos

honestos; & licito, v. gr. quinqué ex centum. Item illud, quod parcius vivendo reservat ex pecunia sibi emissa, dummodo ea de causa non plura alimenta petat, & tunc si id amittat, non tenetur victor ad ejusdem restitutionem. *Communis.*

20 Filius degens, etiam in domo patris, & a fortiori extra domos ipsius patris, si suo labore, & industria acquirit aliquid amplius, quam pater expendit in ejus alimentis, potest de illo moderatam quantitatem ludo exponere; & si illam amittat, non tenetur victor ad ejusdem restitutionem: Hoc enim fundatur in naturali æquitate, & interpretativa, & præsumpta rationabiliter voluntate patris consentientis in tali moderato ludo filii. *Diana part. 7. tract. 9. resol. 5. Rosignol. loc. cit. de restitutione 11. disquir. 1. §. 9. num. 16. & alii passim.* Immo etiam si expresse constaret de positiva voluntate patris, ut filius nihil penitus ludo exponeret, volunt plurimi, quod si filius nihilominus moderatam quantitatem ludo exposuerit, & amiserit, nec ipse, nec ejus pater possit ipsam repetere; quia ludi moderati, & congrui ejusdem filii ætati, & qualitati, pertinent ad congruum ipsius statum, secundum quem pater tenetur eum alere, & ei conferre, quæ tali statui conveniunt; Unde est irrationabiliter invitus, quod filius aliquid moderatum secundum suum statum, & qualitatem exponat in ludis ab aliis sue ætatis, & conditionis frequentatis; *Rosignol. loc. cit. num. 16. Salas tract. de Ludo dub. 10. num. 1. Ledesma in Summ. tom. 2. tract. 31. cap. 2. conclus. 8. Alcozer tract. de Ludo cap. 14. & alii cum Sanchez lib. 1. consil. cap. 8. dub. 7. num. 5. Lugo tom. 2. disput. 41. sect. 2. num. 20.*

22 Filius potest semel etiam initio anni ludo exponere, omnem illam summam, quæ juxta suam conditionem, seu juxta assignationem sibi factam à patre possit licite ludere per totum annum; & si illam totam unico ludo, cum animo non ludendi iterum in toto anno, amiserit, non tenetur victor illam restituere, dummodo sciat non admisisse antea cum aliis illam vel illam majorem summam, quia in tali casu filius renuntians recreationi lusus pro reliquo anni tempore, ut semel unico illo ludo majorem habeat, licite totam illam summam semel unico ludo licite lucratur, adeoque non tenetur illam restituere. *Sanch. lib. 1. cons. cap. 8. dub. 7. num. 7. Lugo tom. 2. disp. 31. num. 23. Diana part. 2. tract. 9. resol. 10. Rosignol. loc. cit. n. 19. & alii passim.* Si autem victor sciat talem filium jam illo anno admisisse cum aliis totam illam summam, tenetur ad restitutionem; quia sicuti filius nequit ultra illam summam licite ludere pro illo anno, ita neque victor ultra illam potest ab illo aliquid licite lucrari; adeoque si sciens priorem amissionem adhuc cum ipso ludat & lucratur, tenetur ad restitutionem, quia in tali casu lucratur id, quod respectu filii ludentis erat alienum, nec poterat ludo exponere. *Sic Doctores citati.* Si vero ipsemet victor successive ludens cum tali filio supra eam summam scienter lucratur, non tenetur restituere totum lucrum, sed solum excessum supra illam summam, quam filius ludere poterat; quia quoad illum solum excessum videtur contractus, seu ludus. *Lugo loc. cit. num. 23. Rosignol. loc. cit. n. 21. Sanchez loc. cit. num. 7. cum pluribus aliis ibi citatis contra Alcoz. lib. de ludo cap. 10. & quosdam alios affirmantes in tali casu restituendum esse totum lucrum, & quia dicunt ipsi, totus ludi contractus redditur tunc vitiosus. Si tamen victor scire non possit, an talis filius totam, vel partem dictæ summæ jam cum aliis amiserit nec ne; tunc retinere potest lucrum usque ad illam summam, quam scit ludere potuisse; quia melior est conditio possidentis: *Lugo loc. cit. num. 22. Sanchez loc. cit. dub. 7. num. 6. cum aliis ibi citatis.**

26 Filius familias potest licite exponere ludo licito bona castrensia, & quasi castrensia, & si amittat, non sunt ei restituenda: filius enim familias, quoad humusmodi bona est sui juris, & habet plenum eorum dominium independentem à patre & sic potest ipse licite exponere ludo, & collusor ea licite lucrari sine onere restitutionis. *Communis.*

Filius familias regulariter non potest ludo exponere 27 bona adventitia absque patris consensu, & si exponat, & perdat, potest Pater ea repetere. *Communis.* Et ratio est, quia filius familias quoad dicta bona, nec habet administrationem, nec usumfructum, cum utrumque maneat apud Patrem, quoadvisque vixerit; adeoque sine consensu patris nequit ea ludo exponere, & si exponat, & amittat, potest ea pater repetere, cum non sit suo jure usufructus, & administrationis in vitus spoliandus.

In tali autem casu, quo pater illa bona repetat, 28 filius obligatur naturaliter de evicitione erga suum victorem, cui rem illam tradiderat. Et ratio est, quia filius familias in suis contractibus privata auctoritate initis obligatur naturaliter; cum enim fidejussorum minorum, & filiorum familias pro eorum contractibus obligentur civiliter l. fin. ff. de furejur. & l. Marcellus, ff. de fidejussoribus; (Vid. leg. 4. tit. 12. pag. 5. cum leg. 5. seq. & verb. Mutuum.) debent iidem minores & filii familias obligari saltem naturaliter; nam deficiente principali obligatione, non potest subsistere accessoria, adeoque ut subsistat accessoria, debet principalis saltem naturaliter obligare l. Cum lex ff. de fidejussor. & mandata. & l. Naturaliter ff. de condition. ind. bito. Colligitur etiam ex l. Si pupillus, ff. ad leg. Falcid. ubi dicitur, pupillum ex mutuo accepto obligari naturaliter, & ex l. ff. de noval. ubi dicitur, pupillum ex promissione naturaliter obligari. Sic cum pluribus aliis *Rosignol. loc. cit. num. 7.*

De Jure tamen communi positivo non obligatur 29 vilitur ad illam evicitionem, arg. Institut. de Auctor. tutor. initio, & §. Pupillus, Institut. de Inutil. stipul. ubi dicitur, quod minores & filii familias possint valide contrahere in suum commodum, non tamen in suum incommodum, & meliorem suam facere conditionem, deteriori vero non. *Sic Rosignolus loc. cit. num. 8. & alii contra Lessium lib. 2. de justit. & jur. capit. 26. dub. 5. num. 35. & sic etiam habetur de Jure municipali variarum provinciarum, & regnorum; & signanter Ducatus Mediolani, ubi est expresse statutum, eos non posse contrahere, & si contraxerint, eorum contractus non valere, & nullimode obligare. (Vid. verb. Restitutio in integrum cum leg. 4. tit. 11. part. 5. quæ præcedentem astruunt doctrinam.)*

Filius familias exponens ludo bona paterna, quæ 30 ignorante collusore alienare non potest, & cum illis lucratus notabilem summam, tenetur illam summam lucratam restituere; *Sanchez lib. 7. Moral. cap. 18. n. 80. Amicus tom. 5. de justitia, disp. 28. sect. 3. num. 36. Lopez instruat. conscient. cap. 16. §. Porro circa ea. Rosignol. loc. cit. num. 17. Sporer tom. 2. tract. 6. in complement. VII. Præcept. decalog. cap. 6. sect. 6. n. 71. & alii passim.* Et ratio est clara, quia de ratione ludi est, ut in eo uterque ludens sit æqualis conditionis in periculo perdendi, & spe lucrandi; talis autem filius inicit contractum ludi inæqualem, dum vincere, & lucrari vult, sed perdere non potest, cum id, quod ludo exposuit, non esset suum, sed patris; adeoque ipsam summam lucratam restituere debet. Si autem collusor fuerit conscius, quod talia bona essent patris, & non alienabilia à tali filio, tunc talis filius non tenetur ei restituere dictam summam lucratam, quia collusori scienti, & volenti nulla facta est injuria. Ita Sayr. Henriquez, Azor. Bonacina. apud Dianam part. 1. tract. 7. resol. 67. Sporer loc. cit. num. 2. Tamburini lib. 8. tract. 2. cap. 9. §. 5. num. 18. disp. 4. dub. 2. num. 12. Navarr. in Manual. cap. 19. num. 11. Angelus verb. Ludus num. 8. Silvester eod. verb. quest. 17. & alii.

Uxor incito & invito marito regulariter loquendo 31 non potest exponere ludo bona ejusdem mariti, nec bona dotalia, & communia. Et si exponat, & amittat, sunt à victore restituenda. *Communis.* Uxor enim quoad bona mariti, nec habet dominium, nec usumfructum, & administrationem; & quoad bona dotalia, licet habeat dominium directum, non habet tamen usumfructum, & administrationem, sicuti nec habet quoad bona communia; adeoque non potest incito, &

& invito marito alienare, & ludo exponere, & consequenter victor tenetur ea restituere, quia revera acceptat rem alienam invito domino.

Et si exponendo ludo talia bona, quæ ignorante col- 32 lussore, alienare non potest, notabilem summam lucratur, tenetur eam restituere; secus autem si collusor fuerit conscius, quod talia bona essent mariti, & non alienabilia ab uxore, propter rationem adductam de filio familias num. 30. & 31. *Sic Doctores ibi cit.*

Notanter autem fuit dictum regulariter loquendo, 33 quia uxor in pluribus casibus potest similia bona moderate ludo exponere inconsulto, & etiam irrationabiliter invito marito. Potest enim uxor de illis bonis insumere in ludis illam moderatam summam, & quantitatem, quam in ipsis, & aliis honestis recreationibus solent insumere alie uxores similis conditionis, quoad statum, & facultates; ut in simili de filiofamilias fuit dictum supra n. 21. & sic tenent Lugo tom. 1. disp. 16. sect. 4. num. 64. Dicastillus lib. 2. de justit. tractat. 18. disp. 5. dub. 9. n. 19. & seq. Hurtad. de justit. disp. 9. difficult. 9. Molina tract. 2. de justit. disp. 520. Amicus tom. 3. de justitia disp. 28. sect. 4. n. 54. Rosignol. loc. cit. §. 10. n. 3. & alii satatis communiter. Sic etiam potest uxor ludis exponere ea, quæ sua privata industria & labore acquirit, post præstita marito, & domui debita, & consueta obsequia: Item ea, quæ maritus eidem concedit, ut oratione & comptior procedat, si ipsa restrictius vivendo, aliquid subtrahat. Item a fortiori potest uxor ludis exponere ea, quæ maritus ipsi concedit, ut pro libito expendat. *Molina cit. tract. 2. de justit. disp. 250. Azor. part. 3. lib. 5. cap. 5. quest. 10. Villalobos in summa tom. 2. tract. 28. difficult. 5. n. 3. Rosignol. loc. cit. num. 3. & alii passim.* (Ad rem vid. verb. Dos.)

Uxor potest de jure communi ludis exponere inconsulto, & invito marito bona sua patrimonialia non data in dotem, & bona paraphernalia. *Communis ac certa.* Uxor enim quoad humusmodi bona habet de jure communi plenum dominium, usumfructum, & liberam administrationem independentem à marito, adeoque potest independentem à marito ea ludis exponere, sicuti potest pro suo libito de ipsis disponere.

Ludens volens plus vincere, quam possit perdere, 35 peccat, & si plus vincat uno solo dispositionis jactu, & cum una sola persona, tenetur illud plus restituere; secus autem si successive diversis jactibus, aut lusibus; aut uno solo jactu cum diversis simul exponentibus. Si enim v. gr. Paulus non habet, seu non potest exponere nisi duos florenos, & ludat ea si possit exponere quatuor, sicque primo jactu lucratur quatuor à solo Petro, facit injuriam, & tenetur ei restituere duos; quia ex tunc manifesta inæqualitas contractus, si solum possit perdere duos florenos, & velit una vice, seu uno solum jactu ab uno solo collussore lucrari quatuor. Si autem successive diversis jactibus, vel lusibus, aut etiam uno solo jactu exponat Paulus cum Petro, & aliis tribus colludentibus, & singuli exponant duos florenos, poterit Paulus suis duobus florenis unico jactu lucrari octo, id est, duos à singulis, quia suos duos etiam exposuit quadruplici periculo jacturæ apud singulos, adeoque licite potest ludere cum spe etiam ab omnibus quatuor colludentibus lucrandi; & si lucratur, potest licite retinere. *Communis* cum Sporer loc. cit. num. 70.

Si non potest cum eadem persona plusquam duos 36 florenos ludo exponere, quia non potest plus velle vincere, quam perdere possit; quia ratione poterit cum quatuor, aut pluribus uno jactu duos illos exponere animo lucrandi non duos, sed octo, vel decem? Si primum non potest, nec alterum.

Sed bona venia Theologi jam à me est ibi tradita manifesta ratio quare non possit in primo casu & possit in secundo; quia in primo casu est manifesta inæqualitas contractus, si Paulus possit solum perdere duos florenos cum solo Petro, & velit unico jactu ab ipso solo collussore Petro lucrari quatuor. Si autem unico jactu exponat Paulus duos florenos cum Petro & aliis tribus vel quatuor colludentibus, & singuli expo-

nant solummodo duos florenos, poterit Paulus suis duobus florenis unico jactu lucrari octo aut decem, id est, duos à singulis, quia duos suos etiam exposuit quadruplici, aut quintuplici jacturæ apud singulos unico jactu, quia in hoc secundo casu adest manifesta æqualitas; quia sicuti illi quatuor aut quinqué colludentes cum suis duobus respectivo expositis florenis, possunt singuli singillatim unico jactu lucrari illos duos florenos expositos à Paulo, ita etiam Paulus poterit unico jactu lucrari ab illis singillatim suos duos expositos florenos; sicuti enim possunt singuli singillatim unico jactu vincere duos expositos florenos Pauli, poterit pariter Paulus unico jactu vincere illos similes duos florenos à singulis singillatim expositos. Militat enim inter ipsos omnimoda æqualitas & par ratio, & ubi eadem est ratio, eadem est etiam legis dispositio; *Leg. Ideo 27. ff. de legibus, Leg. Illud 32. ff. de legem Aquilianam, & cap. Inter corporalia 2. de translat. Episcop. tum quia inter ipsos intercedit expressus, seu tacitus contractus, ut singuli vicissim possint sic perdere, aut lucrari, & contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur; cap. Contractus 87. de Reg. far. in 6. Leg. Contractus 23. ff. de diversis reg. juris, Leg. Depositem 1. ff. de deposit. §. 6. Nec cuiquam in tali casu fit injuria, quia scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus; textu expresso in cap. Scienti 27. de Regul. Juris in 6. Leg. Nemo videtur 145. ff. de diversis Reg. Juris, ibi: Nemo fraudare videtur eos qui sciunt & consentiunt.*

Ludens cum animo deliberato non solvendi, si perdat, & id collusor ignoret, non potest quidquam lucrari, atque ideo nec retinere id quod lucratur; quia contractus est inæqualis, cum alterum fraudulenter decipiat in ratione substantiali ludi, quod si alter sciret, nollet cum ipso ludere. *Communis.* Si autem collusor sciverit talem ludentem non habere animum solvendi, & nihilominus luserit, potest lucrari & retinere, quia lusor censetur consensisse, & remittere, *Tambur. ib. 8. tract. 2. cap. 9. §. 1. n. 17. Sporer loc. cit. num. 69. La Croix lib. 3. n. 1076. & alii.* Si vero etiam alter colludens similem animum non solvendi habuit, tunc qui vincit potest retinere lucrum, quia decipiendo se mutuo compensat injuriam. *Tamburin. Sporer, & La Croix loc. cit. & alii.*

Ludens bona fide cum fure, & rem furtivam in 39 individuo lucrans, cognita veritate, tenetur ipsam rem restituere domino, & non furi collussori, quia dominium rei ablatae semper manet apud dominum. *Communis.* Si vero lucratur non ipsam rem furtivam in individuo, sed pretium ipsius rei jam vendite; potest hoc lucrum retinere, si fur sit aliunde adhuc potens restituere, quia fur erat dominus hujus pretii. At si perdit hoc pretio, sit fur impotens ad restituendum; tunc lucrans tenetur illud restituere, quia tunc contractus ludi reipsa fuit nullus. Cum enim illud ipsum pretium necessario fuerit à fure restituendum domino, non potuit illud tamquam quid alienum à fure valide exponi ludo. *Tamburin. l. 8. decal. tract. 2. c. 9. §. 1. num. 30. Sporer loc. cit. num. 76. La Croix loc. cit. numer. 1078. Bonacina disp. 2. de restit. quest. 2. proposit. 2. cum aliis ibi citatis contra alios oppositum velut probabile tenentes.*

Ludens pecunia furtiva, aut quomodocumque aliena, si quid lucratur, potest ipsam retinere, quia est fructus propriæ industrie & artis, ideoque suum, dummodo tamen habeat aliquid proprium, quod tradat, si collusor vincat, alioquin contractus esset nullus, cum nihil ludi periculo exponeret; quod collusor acquirere posset, ac postulat ratio pro servanda requisita æqualitate inter colludentes. *Lugo loc. cit. num. 13. Sporer loc. cit. num. 79. Molina, Sanch. cum La Croix loc. cit. num. 1076. contra Trullench. Villalob. Dianam dicentes lucrum nequidem tunc fieri tali ludentis. Sic qui deficiente sibi ludo pecunia, eam clam à colludente surripit, & eam postea lucratur, si non habeat quid proprium pro facienda debita restitutione talis pecuniæ furto surrepta, tenetur restituere lucrum; si autem habeat quid proprium, unde restituat, lucrum sibi acquirit, & retinere potest æque, ac si exposis-*

est ludo pecuniam ab aliquo tertio furto ablatam, cum sit idem casus, sive pecunia sit furto ablata ipsi colludenti, sive alteri. Sanchez, & Molina cum Sporer loc. cit. num. 79.

43 Injuste per metum gravem, aut violentiam tractus, & coactus ad ludum, potest lucrari, & retinere lucrum; trahens autem injuste non potest lucrari, & si lucratur debet sic injuste tracto restituere. Sic Lugo tom. 2. disp. 31. num. 28. & 30. ubi pro hac sententia citat S. Thomam, S. Antonium, Abulensem, Henriquez, Emman. & alios plures, quos affert, & sequitur Sanchez, & alios plures, quos affert, & sequitur Sanchez, loc. cit. dub. 11. num. 2. & 3. ubi hanc tradit ut certam, & communem. Salas tract. de Ludo dub. 6. n. 2. cum pluribus ibi relatis. Lessius dub. 2. cap. 20. n. 9. & alii plures contra Victoriam, Lopez, Alcozer, Franciscum Garziam, & alios volentes non solum debere restituere lucrum eum, qui injuste traxit, sed etiam qui injuste tractus fuit, si ipse lucratur, & contra Molinam disp. 516. Franciscum Garziam de contractibus part. 2. cap. 19. & alios dicentes neutrum teneri restituere lucrum, licet trahens cum violentia injusta peccet contra justitiam.

44 At nostram sententiam vocat communem & veriorum loc. cit. num. 28. ibique eam solide, & late probat dicens, obligationem restituendi lucrum injuste tracto, seu coacto non oriri in injuste trahentes, seu cogentes ex inaequalitate ludi, sed ex injusta lesione, cum sic trahens, & cogens per violentiam injustam alium ad ludum, inferat ei gravem injuriam & fiat reus totius damni, quod illi ex tali violentia subsequitur, adeoque debeat eum reddere omnino indemnem, sicuti, ut affert ibi exemplum, si Filius v. gr. per metum gravem injuste cogat Cajum ad ei vendendum equum, etiam si pretium justum solverit; si tamen Cajus ob eam causam coactus sit postea emere alium equum cariori pretio, debet Titius hoc damnum ei rescirere, quod sua causa est passus, non quidem rescindendo contractum, qui mortuo jam fortasse, equo rescindi non potest, sed reddendo eum indemnem ad damno, quo ex Titii injuria, seu injusta coactione est ei subsecutum.

45 In ludo licite, & permixtae sunt alique deceptiones, seu simulationes consistentes praesice in artificio ludentis absque eo quod videtur naturam ludi, & injuste ledant colludentem. Primo igitur qui scit se meliorem ludum habere, potest metum simulare, & formidinem, ut adversarius audacior factus sponsonem augeat, & ipse eam acceptando majus lucrum reportet; Secundo qui scit se meliorem ludum habere, & securus est jam de victoria, potest augere sponsonem, ut quid magis lucratur; Tertio qui scit se inferiorem ludum habere, atque idem esse amissurum, potest simulare habere ludum majorem, & augere sponsonem, ut alter perterritus recuset acceptare sponsonem, & relinquat ipsi, quod jam antecederet ad illam sponsonem oppositum erat; Quarto qui videt adversarium plures chartas accipere, quam debeat, potest tacere, ut propter ipsum excessum debeat postea perdere, quod oppositum est; Quinto denique licite sunt generaliter omnes illae deceptiones, & simulationes, quae secundum leges illius ludi, quo luditur, communiter permittuntur; In dubio autem standum est iudicio peritorum; sic communiter Doctores.

46 Sunt autem in ludo prohibitae deceptiones, & fraudes sequentes. Primo si quis designet chartas notis ali- quibus occultis, vel quid simile efficiendo, ut eas à tergo cognoscant; Unde hic tenetur lucrum restituere, & id quod alter lucratus fuisset, nisi illas fraudes commisisset; Trullench. in decalogum tom. 2. lib. 7. cap. 27. dub. 2. num. 4. Reginald. in praxi tom. 1. lib. 10. cap. 29. num. 385. Amicus tom. 5. disp. 28. sect. 4. num. 27. Rosignol. loc. cit. num. 4. & alii passim.

47 Secundo si quis accuset plura puncta, ac habeat, & hac ratione lucratur ceteroquin amissurus; Unde hic tenetur restituere, nedum lucrum hac fraude reportatum, sed etiam aliud aequivalens, quod ipse certo amississet, si alter deceptus excedebat in punctis; Diana part. 7. tract. 9. resolut. 47. Rosignol. loc. cit. nu-

mer. 3. Dicastill. de justit. lib. 2. tract. 18. disp. 5. dub. 3. num. 22. Alcozer tract. de ludo cap. 20. dub. 1. & alii passim.

Tertio si quis dolose primam manum surripiat in ludo sibi non competentem, sed alteri, & ex illa dolosa subreptione lucrum acquirat, ceteroquin non acquisiturus; Unde hic tenetur restituere, nedum totum lucrum, sed etiam id quod ipse certo esset amissurus, nisi illam manum dolose usurpasset; Diana part. 7. tract. 9. resolut. 45. Rosignol. loc. cit. num. 9. Dicastill. de just. lib. 3. tract. 18. disp. 5. dub. 3. num. 14. & alii.

Quarta si quis ex collusoribus data opera se consituit in loco, ubi chartas adversarii videre possit, & de facto victoriam reportet, ceteroquin non reportaturus, tenetur lucrum restituere; Diana part. 7. tract. 9. resolut. 50. Sanchez in opuscul. tom. 1. lib. 1. cap. 8. dub. 12. numer. 9. cum aliis ibi citatis, Rosignol. loc. cit. num. 5. Trullench. in decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 28. dub. 2. num. 4. Lugo tom. 3. disp. 2. numer. 37. & alii.

Quinto si quis ludens ab aliquo circumstante secreto admoventur de statu alterius collusori facientis, seu augentis sponsonem; Unde hic sic si ante monitionem decreverat non acceptare, tenetur ad restitutionem, & in ejus defectu tenetur ipse secretus monitor. Si autem ante talem significationem jam absolute, & vere decreverat acceptare, ad nihil tenetur; Trullench. in decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 27. dub. 2. num. 4. Dicastill. de justit. lib. 2. tract. 18. disp. 5. dub. 3. n. 31. Mol-fesius in Summa tom. 2. tract. 12. cap. 21. n. 58. Rosignol. loc. cit. num. 6. Sayrus in clavi regia lib. 6. cap. 12. n. 23. La Croix lib. 3. part. 2. num. 1085.

Sexto si quis ludens alteri collusori non advertenti minus solvat, quam perdidit; Unde hic tenetur absolute restituere reliquum, quod non solvit, & vere perdidit; Diana part. 7. tract. 9. resolut. 53. La Croix loc. cit. num. 1084. & alii communiter.

An autem ludens peccet contra justitiam, & tenetur ad restitutionem, si non monet collusorem errantem contra se in numerandis punctis, vel in non accipiendo primam manum sibi competentem in ludo, & idem ipse perdat, & ille lucratur? Affirmant Navarrae, Ludovicus Lopez, & alii apud Sanchez loc. cit. dub. 14. Azorius part. 3. lib. 5. cap. 25. quest. 3. Philiarius de offic. Sacerd. tom. 2. part. 2. lib. 5. cap. 2. Lessius lib. 2. cap. 26. dub. 3. num. 14. Amicus tom. 5. de justitia disp. 28. sect. 4. num. 30. Marchantius in quest. Pastor. part. 1. cap. 8. proposit. 10. quest. 1. caus. 5. Molina de justitia tom. 2. tract. 2. disput. 517. in fine, Trullench. in decalog. tom. 2. lib. 7. disp. 27. dub. 2. 5. Rosignol. loc. cit. num. 7. Rebellus lib. 12. quest. 3. & alii addentes, nisi consuetudo in tali loco obtinuerit, quod collusores non teneantur monere de hujusmodi errore; Negant tamen Sanchez loc. cit. dub. 14. Diana part. 7. tract. 9. resolut. 44. La Croix lib. 3. part. 2. num. 1084. & alii dicunt quod licitum est non monere Adversarium de tali errore, licet idem perdat; quia ludens tenetur ipse attendere ad suum negotium, & leges lusum permittunt errores; cum, ut docet Alcozer tract. de ludo cap. 20. dub. 3. quem videtur sequi Lugo loc. cit. num. 26. Hurtadus de Mendoza de contrav. disp. 8. difficult. 7. hac ludi lex sit, ut error proprius nocet erranti, dummodo alter positive non decipiat.

At hac secunda sententia omnino est reprobanda.

An vero multo magis in arte ludi peritus ludens cum multo minus perito, tenetur ipsi restituere lucrum ab eo reportatum ratione talis suae majoris peritiae? Respondendum est cum distinctione: Vel ille multo magis peritus nescit collusorem esse ita imperitum, & tunc potest totum lucrum retinere, quia nulla intercessit deceptio; Communis cum Diana part. 7. tract. 9. resolut. 30. La Croix loc. cit. num. 1069. Vel talis multo magis peritus scit collusorem esse multo minus peritum, & hic ab ipso, vel ab aliis admonitus de illius longe superiore peritia, vel aliunde eam sciens, nihil omi-

omnis vult secum ludere; & tunc etiam nihil tenetur restituere, quia hic in tali casu censetur cedere Juri suo, quod habebat ad aequalitatem servandam in ludo; Scienti enim, & consentienti non fit injuria; Sanchez in opuscul. tom. 1. lib. 1. cap. 8. dub. 13. num. 7. Diana part. 7. tract. 9. resolut. 31. Dicastill. de justit. lib. 2. tract. 18. disp. 5. dub. 1. num. 8. & 12. Faustus in specul. Confessor. disp. 32. quest. 5. Rosignol. loc. cit. §. 1. num. 12. La Croix loc. cit. & alii. Vel tandem talis scit se esse multo magis peritum, & ideo est moraliter certus se lucraturum, & si sciret non esset lusurus; & tunc tenetur restituere, quia in collusoribus debet esse aequalitas spei lucrandi, & periculi perdendi; In hoc casu autem ex parte ludentis multo minus periti reipsa spes lucrandi est fere nulla, periculum vero perdendi est prope certum; & ideo contra ex parte ludentis multo magis periti: adeoque ludus est inaequalis, & consequenter injustus, & restitutioni obnoxius; Sic Lugo loc. cit. num. 44. ubi dicit ita tenere Molinam, Lessium, Rebellum, Medicam, Petrum Ledesnam, Azorium, Emman., & alios omnes communiter. Sic Rosignolus loc. cit. cum aliis apud ipsum; Sic cum aliis Sporer tom. 2. tract. 7. in complement. VII. Praecept. decalog. cap. 6. sect. 3. num. 67. ubi appellat hanc sententiam communem, & veram; La Croix loc. cit. ubi appellat communissimam; Quamvis Telesius, Covarrubias, & alii apud ipsum ibidem, doceant etiam in hoc casu ipsum multo magis peritum nihil tenetur restituere; & alii cum Diana part. eundem, ibidem, dicant ad summum teneri ad partem majorem, vel minorem pro gravitate, & levitate periculi quod subit.

Lusor, qui ludo exponit monetam malam, si habeat verum animum substituenti bonam in casu, quo perdat, potest licite retinere quod cum ipsa mala lucratur; Si autem non habeat verum non animum substituenti bonam in casu, quod perdat, nullimode lucrari potest ratione inaequalitatis cum collusore; Diana loc. cit. resolut. 26. La Croix L. c. n. 1077. & alii passim.

Ludentes ludo legibus prohibito per se loquendo, secluso scandalo, & contemptu, aliove malo accidentali, nec peccant, nec si lucratur, tenentur lucrum restituere in foro conscientiae ante sententiam Judicis. Sic Card. de Lugo tom. 2. disp. 31. num. 60. ubi cum plurimis ibi citatis dicit hanc esse communem, & veram sententiam, Rosignol. loc. cit. §. 8. cum multis ibi citatis, Sporer loc. cit. num. 81. ubi dicit, quod sic docet jam communis Doctorum, quos citat, & sequuntur Molina disp. 513. Sanchez lib. 1. Confil. cap. 8. dub. 1. Lessius cap. 26. dub. 3. La Croix loc. cit. numer. 1086. ubi dicit, quod sic communissime tenent Alensis, Sotus, Medin. Covarrub. Molina, Trullench. Dicastill. Sanchez, Less. Dian. Tamburin. Lugo, Sporer, & alii contra S. Thomam, S. Bonaventuram, Sylvester. & alios dicentes, lucrantem ludo per legem adhuc vigentem prohibito, teneri restituere in foro conscientiae. Est ratio nostrae conclusionis est, quia tali ludo ludentes, & lucrantes non peccant, nec restituere tenentur de jure naturae, quia ludus hic de se est contractus justus, & licitus servatis debitis conditionibus; Nec etiam est talis obligatio de jure communi positivo, quia leges humanae eum ludum, & translationem domini non irritant, sed solum praecipunt restitutionem faciendam victo perenti in Judicio post sententiam Judicis. Hac enim sunt praecisa verba Leg. Altemur Cod. de Altemur. ibi: "Nulli liceat in publicis, vel privatis domibus, vel locis ludere, neque in genere, neque in specie, & si contra factum fuerit, nulli sequatur condemnatio (scilicet vult ad solvendum) sed solum reddatur, & competentibus actionibus repetatur ab his, qui dederint, vel eorum haeredibus, aut his negligentibus à Patre, aut defensoribus illius civitatis, vel recipiat Fiscus; non obstante 50. annorum praescriptione." Unde inferunt Doctores, quod Victor non tenetur restituere pretium solum, sed lucrum ipsi victo repetenti illud extra judicialiter; sed solum, si ipse, vel ejus heres repetat in Judicio, & sententia, à Judice proferatur, ut clare colligitur

ex verbis illis, & competentibus actionibus repetatur. Quomodo non peccat qui contra justam legitimam Principis regulam agit? Quantum ad restitutionem, majoris profecto facio S. Thomae & Bonaventurae sententiam, quam ceterorum Casuistarum, qui ab Auctore recensentur.

Potest tamen victus terrore victorem comminando ei repetitionem lucri, seu pretii soluti in Judicio, & sic pacisci cum ipso extrajudicialiter de aliqua parte reddenda, seu restituenda, eo quod Juri cedat non repetendo in Judicio; Communis, cum citatis Doctoribus. Si autem victus solum fide minetur, non habens animum vere repetendi in Judicio, Salas dub. 28. Molina disp. 515. Alcaza sect. 1. num. 9. Lugo loc. cit. num. 72. dicunt, non esse totum, quia per dolum, & fraudem cogeret victorem ad sic transigendum; Sed Lessius loc. cit. Tamburin. cit. §. 1. num. 10. Sporer loc. cit. num. 82. aliique cum Diana loc. cit. resolut. 82. dicunt, esse totum, quod probabile esse fatentur Sanchez, Castrop. Trullench. Dicastill. & alii, quia revera habet Jus repetendi in Judicio, quod pretio aestimabile est; & illi Juri cedit pro restituta parte, cui non cederet, nisi pars restitueretur, adeoque videtur id posse licere facere.

Qui ludo prohibito lusit creditus, & perdidit, est in conscientia naturaliter obligatus ad solvendum, quia contractus ille ludi est validus, & legibus humanis non irritatur, adeoque dat Jus victori ad lucrum; promissio enim mutua valida, onerosa, & acceptata debet Jus aliquod ex justitia parere, & per consequens obligationem in promittente; Sic tenent Joannes Medina, & Castro apud Molinam disp. 515. Corduba in Summa quest. 98. Conradus quest. 196. Franciscus Garzias de contractibus part. 2. quest. 19. Azorius part. 3. lib. 5. cap. 24. quest. 7. Sporer loc. cit. num. 83. La Croix loc. cit. num. 1087. & alii. Verumtamen potest victus se tueri exceptione legis alearum, ut etiam in conscientia solvere non tenetur, quia illa lex non tantum est lata in poenam lucrantis tali ludo, sed etiam in favorem victi, ut solvere non teneatur, si petat exceptionem ipsius; Navarr. cap. 20. num. 17. Molina disp. 515. Tolerus lib. 5. cap. 27. Lessius cap. 26. dub. 4. Layman cap. 21. num. 3. Lugo loc. cit. num. 70. Adrianus, Aragonius, Covarr. & alii, quos affert Salas dub. 26. n. 2. qui num. 4. amplectitur hanc sententiam cum Rebello, & Valentia, nempe posse victum non solvere, si petat in Judicio, ut cassetur promissio; La Croix loc. cit. num. 1087. Sporer loc. cit. num. 83. ubi testatur de communi; Et ratio est, quia cui Jus dat actionem repetendi jam solutum, eidem multo magis dat exceptionem antequam solvat, textu expresso ibi: Cui damus actionem, eidem, & exceptionem competere, multo magis quis dixerit, & capit. Qui ad agendum 71. de Regul. Juris in 6. ibi: Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multo magis admittendus. Jus autem commune dat actionem repetendi jam solutum ei, qui ludo prohibito perdidit, & jam solvit, cit. leg. Alearum Cod. de Aleariis. adeoque ei multo magis competit actio ad non solvendum, antequam solvat: Ad quid enim in hoc casu esset solvere id, quod statim potest repetere? Frustra enim solvitur quod statim repetendum est; leg. Dolo 8. ff. de doli mali exceptione, & cap. Dolo 59. de Regul. Juris in 6. ibi: Dolo facit, qui petit quod restituere oportet eundem. Unde cum retinere propriam rem, antequam detur, vel ipsam jam datam iterum repetere, reipsa aequivalent, non erit injustitia, ut inquit Tamburin. loc. cit. num. 11. Sporer loc. cit. num. 83. La Croix loc. cit. num. 1087. & alii, alterum modum commodiorem absque inutili circulo eligere. Hinc leg. 2. ff. de compensatione dicitur: Interest nostra potius non solvere, quam solvum repetere.

An autem qui ludit ludo prohibito cum animo utendi hoc beneficio legis, scilicet non solvendi, vel solum repetendi per sententiam Judicis, si perdat, possit licite retinere quod lucratur? Molina, Reginald. Dicastill. cit. cap. 26. num. 31. dicunt, ipsum teneri restituere id, quod lucratur, quia talis decipit adversarium

rium falso significans se illi cessurum esse si vincat, quam deceptionem, si ille sciret, certe non luderet; deinde non ponit equalitatem requisitam inter ludentes. Sanchez autem loc. cit. dub. 5. num. 1. Lugo cit. num. 53. Sponser loc. cit. num. 84. La Croix loc. cit. num. 1088. & alii cum Diana loc. cit. resolut. 25. probabilibus dicunt, ludum esse validum; & dictum ludentem posse licite retinere lucrum; quia intentio adimplendi non est de essentia promissionum; vel contractuum, adeoque etiam si talis non habeat intentionem solvendi preteritum, ludus tamen erit validus, & transferet dominium lucri; In reliquo autem utitur suo jure, ex beneficio legis concedentis sibi exceptionem, ne teneatur solvere, vel actionem ad repetendum solutum, si jam solverit; Collatur autem sibi imputet, si ludit tali prohibito ludo; qui dat jus colludenti, vel non solvendi, vel solum repetendi. Neque est inter ipsos inaequalitas, quia etiam alteri competitidem beneficium legis, si perdat.

Inter condiciones requisitas, ut ludus licitus evadat, recensit Auctor num. 2. leg. Ut ludens non utatur dolo, & fraude: IV. ut sit equalis conditio colludentium. Quæso Ferrarius nostrum I. an ille qui ludat animo non solvendi, vel si solverit animo solum repetendi, utatur dolo, & fraude, nec ne? II. An ille qui certus est se nihil in ludo amissurum, collusore in periculo amittendi constituto, dici possit quod quartam conditionem servet supra relatam, tanquam necessarium, ut ludus sit licitus? Hujusmodi est casus hoc numero relatùs, quem tamen solvit ipse Ferrarius contra condiciones à se initio articuli statutas. Eiusdem farinae est doctrina tradita num. 61.

Quamvis victus anteaederit renuntiaverit dicto beneficio legis; scilicet non solvendi, vel solum repetendi, potest adhuc uti tali beneficio legis, quia omnis ludens promittit irrevocabiliter solvere; & tamen lex vult, non obstante promissione solvendi, ut possit adhuc non solvere, vel solum repetere, cum ipse per talem promissionem non possit vim legis enervare; Sic tenent Rebell. Salas, Lessius, Diana loc. cit. resolut. 16. Lugo loc. cit. num. 65. La Croix loc. cit. numer. 1089. & alii. Si tamen renuntiaverit dicto beneficio legis cum juramento, jurando scilicet se non usurum talem beneficio, tunc stare debet juramento, quo non potest licite non solvere, & licite repetere solum. Si enim id sub juramento promisit, debet observare, cum sit omnimode observandum juramentum promissorium de re licita. Molina disp. 515. La Croix loc. cit. num. 108. Lugo loc. cit. num. 66. Sponser loc. cit. num. 83. Lessius loc. cit. num. 26. & alii, quos affert, & sequitur Salas dub. 26. num. 7. Dicunt tamen Navarrus, Covarr. Valentia, Toletus, Vega, Henriquez, Diana, & alii, quos refert, & sequitur Salas loc. cit. num. 8. posse petere relaxationem juramenti, & hac obtenta, ut dicto beneficio legis. At melius negant Molina, Sorus, Lessius, Rebellus, cum Card. de Lugo loc. cit. num. 66. La Croix loc. cit. num. 1089. & alii; quia cum tale juramentum sit de re licita, & de solutione, quam absque peccato accipere, & retinere potest victor, videtur confirmare contractum, & dare jus ex justitia, in cuius præjudicium non potest Prælatu relaxationem concedere.

An autem victor possit licite impedire, ne à Judice condemnatur ad restitutionem? Omnes communiter docent posse id licite facere, si sine vi, vel fraude impediatur, v. g. pure negando se fuisse, donec probetur; si autem de hoc interrogetur judicialiter à Judice, quamvis Molina, Sanchez, & alii cum Diana loc. cit. resolut. 27. dicant ipsum non teneri fateri se fuisse tali ludo, & lucratum fuisse, si probari non possit; tamen si de hoc interrogetur judicialiter à Judice, Lessius loc. cit. num. 21. Lugo loc. cit. num. 94. La Croix loc. cit. num. 1090. & alii probabilibus dicunt teneri fateri, quia lex non est pure pœnalis, sed dispositiva, & Judex habet jus ad interrogandum, cum non agatur de punitione, sed de restitutione à lege concessa.

Quoad sponsonem, quæ fuit descripta supra num. 3.

adductis ibi num. 4. conditionibus ad ipsam requisitis, cum sit ludo valde affinis, de ipsa est concludendum proportionaliter, sicut hæctenus de ludo fuit conclusum: Unde hic solum aliqua specialia de sponsonem adducuntur. Qui certus est de eventu, vel veritate rei, nequit sponsonem inire, & inde lucrum accipere; Communis. Et ratio est clara, quia, qui certus est de eventu, & veritate rei, nullo periculo perendi se exponit, ut se exponat alter, qui si id sciret, nollet spondere cum ipso; adeoque defectu equalitatis inter sponsores, est illicita talis sponso, nec ex ipsa potest aliquod lucrum accipi, & si sit acceptum, debet restitui. Si quis autem à principio certus videatur de veritate rei, quam sustinet, & postea altero perinatiter contradicente, & spondere volente, incipiat formidare, & dubitare, reflectens conigisse alius, ut deceptus fuerit etiam in iis, quæ sibi prius certa apparebant; poterit tunc licite spondere, & lucrari propter aliquale illud periculum, cui in sua existimatione se exposuit; Molina disp. 508. ante fin. Lugo loc. cit. num. 79. qui testatur de communi.

An autem, quando, qui habet certitudinem, protestatur alteri se esse certum, nec velle, aut posse spondere, quia nulli se exponit periculo, & tamen ille alius contendit, & velit spondere, non obstante illa sibi protestata certitudine, an inquam ille possit sponsonem acceptare, & lucrum inde recipere, seu receptionem licite retinere? Affirmant multi, inter quos Navarrus in manual cap. 19. num. 18. Diana tom. 3. tr. 4. miscellan. resolut. 176. Villalobos in Summa tom. 2. tract. 28. difficult. 6. num. 2. Busemb. lib. 3. part. 2. cap. 3. dub. 13. num. 4. Ludovicus Lopez, Medina quos affert, & sequitur Sanchez lib. 1. consil. cap. 8. dub. 13. num. 11. Layman lib. 3. tract. 4. cap. 21. num. 4. ubi dicit, habere sententiam esse veram, & alii, quia tunc, dicunt ipsi, nulla est fraus, aut injuria, cum scienti, & volenti non fiat injuria, & alibi debeat alter imputare suam temeritatem. Alii tamen id negant, ut Molina, Alcozer, Franciscus Garzia, Lessius, Bonacina, quos citat, & sequitur Lugo loc. cit. num. 81. & alii, quia tunc, dicunt ipsi, non servatur equalitas, quæ requiritur ad contractum sponsonis, ut uterque æquale periculum subeat, & vincere, & vinci; Filiucius autem tract. 37. cap. 2. numer. 24. secutus à Sponser loc. cit. num. 85. & ab aliis, recte dicit, primam sententiam esse satis probabiliem, sed secundam esse magis justam, & tutam.

Libet de ludo, tum de sponsonem disserere secundum Jus civile, quod utinam ubique gentium servaretur.

Ludus vel est fortuna, vel virtus. Plura autem Jure civili contra Aleatores sancta sunt, quæ tamen ad omnes lusores fortuna pertinent, ut tradunt Andr. Sensieb. de Alea veter. & Passus Just. de Alea seu curanda in pecuniam ludendi cupiditate. Hinc I. pertinet generalis prohibitio ludi fortunæ tam in privatis, quam in publicis domibus; Leg. final. Cod. de Alea. II. quod ludo perditum Victori petere non liceat, leg. 1. § 3. Cod. d. tit. III. quod victus, & heres ipsius perditum condicere valeat non solum ab ipso Victore, sed & ab ejus hæredibus, d. leg. 2. Cod. d. tit. IV. quod si victus pecuniam repetere negligat, id facere queat vel Ispus pater, vel magistratus civitatis, vel tandem Fiscus d. leg. 1. Cod. d. tit. V. quod etiam Episcopus incumbat prospicere ut hoc fiat, & eo nomine præsidium auxilium utantur, leg. fin. Cod. d. tit. VI. ut huic repetitioni non nisi 50. annorum præscriptio obstet, d. leg. 2. cap. d. tit. VII. ut cautio super aleæ usu data sit irrita, & condici possit, leg. 1. Cod. d. tit. VIII. si quis verberaverit hospitem lusores tot lerantem, damnumve ei dederit, nulla hinc detur actio, leg. 1. in princip. ff. d. tit. IX. qui alium ad ludendum compulsi, in latomias vel vincula publica condemnandus, d. leg. 1. in fin. ff. d. tit. X. nec venia digni qui licet ab initio ad lusum non coegerint, victi tamen dimittere nolunt, leg. 2. in princip. ff. d. tit. XI. quod etiam adversus parentes illius, qui in alea quid lucratur, repetitio danda sit, leg. final. in fin. ff. d.

81 d. tit. Quod tamen procedere reor, si parentum con-
82 sensu filii ludo indulgeant, vel filius certam pecuniam ad ludendum dent.

83 De pecunia ad ludum de quo disserimus fortune credita, an ea repeti possit, nihil speciatim definitum est. Ceterum interest, num ea credita sit à collusore, an à Receptore lusorum, an à Tertio. Collusori, & Receptori lusorum actionem communiter denegat DD. Vide Psil cons. 28. n. 6. Marsmann in miliologia cap. 2. fer. per tot. Colet. part. 1. doc. 173. n. 9. Berlich. part. 1. doc. 66. At quod attinet ad Tertium, ei dant actionem dec. 66. negat vero inter alios Branemann. ad l. 8. n. 3. ff. pro emptor. Hæctenus de ludo fortunæ.

85 Ludus virtutis permittus est, si honestati non re-
86 tragetur, & sanitatis causa modice adhibeatur. Quorum spectat locus Ciceronis lib. 1. Officior. §. 103. ibi: "Non omnes ludos licendi licentiam; sed eam, quæ ab honestis actionibus non sit aliena."

87 Videamus nunc quos virtutis ludos permiserint jura nostra. Paulus illos recenset in leg. 2. §. 1. ff. d. tit. "Si quis, inquit, certet hasta vel pilo jaciendo, vel currendo, saliendo, luctando, pugnando, quod virtutis causa fiat." Consule vero Gothofred. ibid. tum Pan-

cirol. thesaur. variar. lectio. lib. 1. cap. 48. in princip.
Sed nec omittendum est, quinquæ ludorum species recenseri & permitti à Justiniano in leg. 1. §. fin. Cod. d. tit. Confer & Pancirol. thes. var. lect. lib. 1. cap. 47. & Marsmann. in miliologia cap. 2.

De Lottaria, sive olla fortunæ quæri solet an plus juris hic subsit, quam in Ludo fortunæ alio? Ollas hæc defendunt plures, modo ex publica auctoritate sint constitutæ. Adi Molin. de Justit. & jur. tract. 2. dist. put. 509. fer. per tot. Kloch de Errar. lib. 2. cap. 118. num. 4. Martia del Rio lib. 4. mag. disquisit. cap. 4. quæst. 1. Illas vero impugnant Dede Kenn. consil. theolog. vol. 2. tit. 8. num. 15. Amerius de casib. consilient. cap. 23. Sed de hac questione alibi ex professo dissendendum.

Reliquum est, ut verba faciamus de sponsonem. Hanc vulgo licitam dicunt ex sententia Martiani in leg. 3. ff. d. tit. sed omittunt limites ab eodem Jurisconsulto adjectos, ut scilicet in aliis casibus ubi pro virtute certatum non est sponsonem facere non liceat. Quinimo ex leg. final. §. Nec permittimus Col. d. tit. ubi virtutis causa sponso fit ultra unum solidum, si multum dives sit, exponere prohibitum. Vide Wissembach ad tit. hunc ff. de Aleator. §. 18.

Longum nimis esset, ac plane infinitum, omnia hanc materiam concernentia pertingere sigillatim: A bene explanat eam, quamvis non se circumscribat ad cujuscumque provinciæ particularia decreta. Pro majori elucidatione, & juris hispanici alla notione, animum relaxet Lector, & à proposito relegendi non divertat.

Ludi non omnes sub prohibitione cadunt: ludere fas est, si lex non resistit; est absoluta prohibitio, ubi fortuna, casusque multum prosunt, nil, aut parum, ingenium, ut accidit in aleis, & taxillis; (1) sed ubi hoc, & ars non illi prævalent, sicut in pilis, choræis, hisceque similibus verificatur, omnimoda non est interdictio. (2) Cum reges nostri felicitati, quieti, & vassallorum tranquillitati semper prospexerint, multis abhinc seculis ludos veterunt, & permiserunt, etsi licitis, utpote recreationis causa à natura dispositis, perque conæquens debeant interponi gaudia curis, operam navare culibet concedatur, tamen summa ludis intervenientia sub certis terminis, quos transilire non permittitur, fixa manet; neque ad creditum, aut sub fidejussionem, neque suppellectilibus, bonis movibilibus, seu immovibilibus mediantibus, agitari veniunt, nec nisi numerata pecunia; (3) quare tot tantisque prohibitionibus ad humanam conditionem, maliitiamque reprimendam, inimicitias evitandas, adituque præcludendum otiositati, ac ignavia, quibus homines dediti, ad legum non solum scripturam infractionem, sed quod plus demiratur, ad illius à natura nostris animis impressum exhibentur, non sufficientibus: noster inclitus Rex D. D. Carolus III. in confirmationem Pragmaticarum præteritis temporibus expeditarum, novissimam anno M.D.CCLXXXI. publicare sancivit, ut ad unguem observarentur, & nec in nimium suum remitterent robur, propterea quod Ordinariis demandatur Judicibus, quibus hujusmodi delicatus cognitio private competet; (4) quacumque ludentes præfulgeant distinctione, & exemptione, sive excessus in aleis, sive illicitis ludis cohiberet tentaverint, in contravenores procedi, bis centum ducatorum, si no-

(1) L. 18. tit. 7. lib. 8. §. 1. Ibi: Prohibo, que las personas estantes en estos Reynos, de qualquier calidad, y condicion que sean, jueguen, tengan, ó permitan en sus casas los juegos de Banca, ó Faraón, Banzeia, Carreta, Banca fallida, Sacaneta, Parar, Treinta, y Quarenta, Cacho, Flor, Quince, Treinta y una embudada, ni otros qualesquiera de nappes, que sean de suerte, y azar, ó que se jueguen á envite, aunque sean de otra clase, y no vayan aquí especificados, como tambien los juegos de Birbis, Oca, ó Aca, Dado, Tablas, Azares, y Chuecas, Bolo, Trompico, polo, ó instrumento de hueso, madera, ó metal, ó de otra manera alguna que tenga encuentros, azares, ó reparos, como tambien el de Taba, Cubiletes, Dadales, Naaces, Correguela, Descarga la Barra, y otros qualesquiera de suerte, y azar, aunque no vayan señalados con sus propios nombres: (2) L. cad. §. 6. En los juegos permitidos de nappes, que llaman de comercio, y en los de pelota, trucos, viilar, y otros que no sean de suerte, y azar, ni intervenida envite: mando, que el tanto sueldo que se jugare, no pueda exceder de un real de vellon, y toda la cantidad de treinta ducados señalados en la ley 9. de las referidas titulo, y libro, y es la misma, aunque sea en muchas partidas, siempre que intervenga en ellas alguno de los mismos jugadores; y prohibo conforme á la misma ley, que haya traviesas, ó apuestas, aunque sea en estos juegos permitidos; y todos los que excedieren á lo mandado en este capítulo, incurran en las mismas penas que van declaradas respectivamente para los juegos prohibidos, segun

las diferentes clases de personas citadas en los capítulos precedentes: (3) L. cad. §. 7. Asimismo, conformandome con la dicha ley nona, y con la octava de dicho titulo, y libro, prohibo se jueguen prendas, alhajas, ó otros qualesquiera bienes muebles, ó raices, en poca, ni en mucha cantidad, como tambien todo juego á crédito, al fiado, ó sobre palabra, entendiendose que es tal, y que se quebranta la prohibicion, quando en el juego, aunque sea de los permitidos, se usare de tantos, ó señales, que no sean dinero contado, y corriente, el qual enteramente corresponda á lo que se fuere perdiendo; baxo de dichas penas impuestas en los capítulos segundo, y siguientes, así á los que jugaren, como á los dueños que lo permitiesen en sus casas: (4) L. cad. §. 14. Igualmente declaro, que conforme á lo resuelto por el Rey mi Padre, y Señor en su real decreto de nueve de Diciembre de mil setecientos treinta y nueve, y por Fernando VI. mi muy amado Hermano, en real cedula de veinte y dos de junio de mil setecientos cinquenta y seis, renovada, y mandada guardar por otra mia de diez y ocho de Diciembre de mil setecientos setenta y quatro, y todos los que se ocuparen en los expresados juegos, ó los consintieren en sus casas, en contravencion, ó con exceso á lo ordenado, y dispuesto en esta ley, han de quedar sujetos para todo lo contenido en ella á la jurisdiccion Real ordinaria, aunque sean Militares, criados de la Casa Real, individuos de Maestranza, Escolares en qualquiera Universidad de estos reynos, ó de otro qualquiera fuero, por privilegiado que sea, aunque